

Jus non habent ad distributiones aliaque emolumenta, nisi in eorum receptione aliter cautum fuerit (1).

VII. Canonici honorarii vocem in capitulo non habent (2). Attamen sicut beneficiarii, licet non sint de capitulo, nihilominus vocandi et audiendi sunt, quando de communi ipsorum et capituli interesse agitur, ita vocandi et audiendi sunt canonici honorarii, dum de eorum agendum est juribus.

VIII. Locum habent in choro aliisque capitularibus congressibus post canonicos titulares (3). Dum paramenta sacra assumenda sunt, tunc si capitulares distincti sint per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, canonici honorarii induere debent tunicellam, secus eandem vestem communem canonicis titularibus, cujuscumque ordinis sint (4).

§ 3. De canonicis jubilatis.

I. Indultum jubilationis in jure communi non reperitur, sed ex benignitate ecclesie introductum est ad formam legis levitarum, qui Num. VIII, 23, *A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo foederis. Cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint, servire cessabunt*: atque ad instar ejus, quod in saeculari militia fieri consuevit, ut ait S. Ambrosius in libro de viduis: *Miles confectis stipendiis arma deponit, et relicto officio, quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut et ipse exercitae laboribus vitae quietem consequatur, et alios spes futurae quietis subeundis faciat operibus promptiores*. Indultum igitur jubilationis rationem habet praemii et remunerationis retribuendae illi beneficiario, qui jugiter et laudabiliter servitium suum praestitit; et quoad alios ejusmodi immunitatis spes aptum est remedium, alacriores reddendi ecclesiae ministros, ad diligentius servitium exhibendum.

(1) Scarfantonus lib. 1, tit. XII, n. 15, tit. XIV, animadv. 17-21; item decisione 61, n. 4 et seq. Bouix loco cit. § VI.

(2) S. C. C. 4 Jun. 1836, in thesauro resol. tom. 96, fol. 265; 17 Dec. 1836, *Vintimilien*, in Actis S. Sedis, vol. IV, fol. 579-584, Pallottini *Canonicus*, § II, n. 43; Scarfantonus lib. 1, tit. XII, n. 15.

(3) S. C. C. 17 Dec. 1836 loco cit.; 6 Jul. 1867 ad II, in Actis S. Sedis vol. 3, fol. 138; S. R. C. 11 Sept. 1847, *Valentin*.

(4) S. C. C. 6 Jul. 1867 ad III loco cit.

II. Hoc privilegium in eo consistit, quod canonicus et beneficiatus post praestitum laudabile et continuum servitium quadraginta annorum, eximantur ab obligatione et frequentatione chori, et nihilominus consequantur fructus et distributiones quotidianas. Tunc dicitur ecclesiae per gloriam adhuc inservire, qui post diuturnum servitium, senio confectus, ex licentia Summi Pontificis quiescit adinstar militis veterani.

III. Jubilationis indultum a Sede Apostolica seu Sacra Congregatione Concilii concedendum est. Nec enim Episcopus, nec capitulum aliquem a choro in perpetuum eximere aut dispensare potest. Nec etiam valent statuta, quae indultum jubilationis concedunt, nisi a Sede Apostolica specificè confirmata sint, vel saltem gaudeant observantia immemorabili (1). Sancta Sedes hoc indultum etiam concedit, licet statuta capitularia quoad hoc nihil praescribant, quinimo etiamsi statuta hoc genus exemptionum prohibeant, et beneficiati ex praescripto suorum statutorum, sese hoc servaturos jurejurando promiserint (2).

Indultum jubilationis a Sacra Congregatione Concilii obtentum, in capitulo exhiberi, eique ostendi debet (3).

IV. Ad jubilationis indultum consequendum requiritur servitium chorale quadraginta annorum, assidue diligenterque praestitum. Hoc Sacrae Congregationi, antequam indultum concedat, constare debet ex Ordinarii et capituli testimonio per examen instituendum circa punctaturas, fallentias et distributiones. Si ex illis colligatur, servitium fuisse diligens et continuum, locus indulto facillime datur; si vero res aliter se habeat, puncta negligentiae per quadraginta annos colligenda sunt, ut ex totali punctorum numero cognoscatur, quale fuerit servitium. Si punctorum liber non extet, adhibentur testimonia canonicorum aetate provectorum aliorumque hominum fide dignorum. Si orator negligens fuerit, indultum, elapso quadragenario tempore a die captae possessionis, non conceditur; locus vero relinquitur compensationi fallentiarum, quae antea commissae sunt; et tempus deficiens suppleri debet, priusquam privilegium obtineatur (4).

Absentiae causae undequaque etiam legitimae, per se non suffra-

(1) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 9-12; Lucius Ferraris *Canonicus*, art. IX, n. 103.

(2) S. C. C. 11 Feb. 1772 *Gerunden*, in Actis S. Sedis vol. 6, fol. 429.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 19.

(4) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 424.

gantur hujus gratiæ impetrationi, cum tempus in choralis servitio insumptum non fuerit. Sic in quadraginta annis non numeratur tempus absentiae ex causa studiorum, licet cum debitis licentiis et indultis (1), neque ex causa infirmitatis sine debitis licentiis et indultis (2). Quoad jubilationis indultum ratio non habetur sive pro vectæ ætatis sive habitualis infirmitatis : ob hanc rationem Sacra Congregatio indulgentiam abessendi a choro quidem concedit, jubilationis autem indultum negat (3). Contra in tempore quadraginta annorum recensetur absentia ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, vel pro suæ ecclesiæ servitio, vel cum indultis abessendi pro diebus et horis (4); item si ecclesia per vim majorem, tempore persecutionis, aut causa terræ motus clausa manserit (5). Similiter ab hoc tempore abstrahi non solet absentia, quæ datur causa vacationis trimestris, sicut per Concilium Tridentinum annue permittitur; neque quæ habetur in locis, ubi ex legitima auctoritate solis alternis hebdomadis choro assistitur; vel etiam ubi servitium chorale in dominicis festisque diebus tantummodo persolvitur : quales absentiae utpote jure permissæ, subduci non solent (6).

V. Hoc beneficium jubilationis Sacra Congregatio elargitur, non tantum canonicis et dignitatibus, sed etiam beneficiariis, mansionariis, capellanis, modo beneficium in titulum perpetuum collatum possideant. Neque obstat, si quis difforme servitium præstitisset, v. g. partim uti beneficiarius, et partim uti canonicus, nisi prius officium qualitate veri beneficii caruisset (7).

Licet Sacra Congregatio (8) resolvisset, beneficiatos, qui servitium quadraginta annorum partim in una et partim in altera ecclesia compleverant, jubilationis indulto gaudere non debere; postea tamen hunc rigorem mitigavit, et pluribus resolutionibus statuit, beneficiatum, qui choralis servitio per annos quadraginta

(1) S. C. C. 28 Nov. 1711, *Nepesina*, et 17 Dec. 1718, 1. *Dubia jubilationis*, in Actis S. Sedis vol. III, fol. 470 et vol. VI, fol. 425.

(2) S. C. C. 13 Sept. 1862, *Firmana* in Actis S. Sedis vol. VI, fol. 426.

(3) Acta S. Sedis vol. III, fol. 470.

(4) S. C. C. 17 Dec. 1718, 1, supra cit.

(5) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 426.

(6) S. C. C. 6 Dec. 1794, *Montisfatisci*; 17 Dec. 1808, *Prænestinæ*; 27 Junii 1857, *Narnien*; Acta S. Sedis vol. VI, fol. 426.

(7) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 430.

(8) 17 Dec. 1718, *Dubia jubilationis*.

laudabiliter perfunctus fuit, nedum in ecclesiis ejusdem civitatis, sed etiam in ecclesiis ejusdem diœcesis, jubilationis gratiam promereri (1).

VI. Qui gaudet indulto jubilationis, 1° non amplius tenetur ad chorum, neque ad officia choralia, quæcumque ea sunt (2).

2° Neque ad missas conventuales, sive per se sive per alium, neque ad contribuendam eleemosynam missarum conventualium (3); etiamsi contraria adsit consuetudo, et jubilati per quinquaginta annos missas conventuales celebrare consueverint (4); aut etiamsi statuta capitularia celebrationem missarum conventualium jubilatis, sine approbatione Sedis Apostolicæ, præscriberent (5), quia statuta capitularia, Summi Pontificis approbatione destituta, haud talem vim exerere possunt, ut valeant contra Pontificum oracula aut contra universalem ecclesiæ disciplinam. Quod si tamen a Sacra Congregatione aliquando aliter statutum fuerit, discrimen a regula generali aliunde repetendum non est, quam a variis casuum circumstantiis et ex peculiaribus cujusque ecclesiæ statutis et consuetudinibus (6).

3° Sicut jubilatus non tenetur ad missas conventuales, sic nec ad hebdomadam, quæ per vices canonicis obtingit, sive per se sive per alium (7).

Not. 1. Jubilato tamen licere, si voluerit, obire servitium hebdomadæ suæ cæteraque officia et munia alias sibi incumbentia (8).

Not. 2. Præter onera, omnibus ratione chori communia, unamquamque præbendam, ut plurimum, alia specialia onera habere annexa, v. g. celebrationem missarum pro suffragio fundatorum. Licet autem jubilatus a communibus absolvatur oneribus, nullum vero dubium est, jubilationis beneficium non extendi ad hujusmodi

(1) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 429.

(2) Acta S. Sedis vol. V, fol. 444, IV.

(3) S. C. C. 23 Mart. 1697, dub. 1, *Aquitpendii*; 12 Maji 1759 dub. I et 2, *Senen*. apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § V, n. 21, 35 et 36; Lucidi de visit. SS. Lim. vol. III, fol. 168; Acta S. Sedis, vol. VI, fol. 427.

(4) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Analecta juris Pontif. ser. VI*, fol. 2263.

(5) S. C. C. 8 Jul. 1876 in Actis S. Sedis vol. IX, fol. 563.

(6) Lucidi loco cit. n. 24; Zamboni vol. IV, *Canonicus*, § V in fine; Acta S. Sedis vol. V, fol. 444.

(7) S. C. C. 2 Oct. 1677, *Novarien*, dub. 2, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § V, n. 5 et 6.

(8) Scarfantonius lib. 2, tit. VI, animadv. 16.

onera specialia, quæ proinde fideliter, ut ante, adimplere debet (1). Similiter dignitas non censetur immunis ab iis peragendis functionibus peculiaribus, quæ taxative inhærent dignitati vel personatui, sive ex statutis sive ex consuetudine (2). Item theologus jubilatus adhuc tenetur ad lectiones sacræ Scripturæ per se ipsum, vel per alium si sit legitime impeditus (3). Pariter si canonicatui annexa sit cura animarum, hujus canonici jubilatio ad solum chori servitium coercetur, et ad curam animarum non extenditur (4).

4º Canonicus jubilatus non tenetur interesse capitulis et congregationibus, quæ habentur pro gerendis negotiis ecclesiæ et capituli (5).

5º Jubilatus non tenetur ad residendum, nec ullis residentia legibus ligatur, et habitare potest, ubi voluerit (6).

Notandum autem est, Episcopo ex ecclesiæ necessitate permitti, ut illos qui jubilationis indultum consecuti sunt, ad ecclesiæ obsequium revocare possit. Talis clausula in indulto aliquando additur, et licet non exprimatur, semper tamen subintelligitur: nam in potestate ordinarii est, jubilatos in casu necessitatis revocare, ita ut illi cogi possint, ut non tantum in festis principalibus, sed quoties cultus divinus et chori servitium detrimentum patitur, resideant, et choro intersint (7).

VII. Jubilatus percipit omnes fructus, distributiones quotidianas omniaque emolumenta inter præsentibus distribuenda, perinde ac si ipse in choro quoque præsens esset (8). Si distributiones post obtentam

(1) S. C. C. 4 Maji 1737, *Constantien*; 10 Sept. 1853, *Montisfalsci*; Acta S. Sedis vol. VI, fol. 428.

(2) S. C. C. 3 Sept. 1870 in Actis S. Sedis vol. VI, fol. 414.

(3) S. C. C. 30 Jul. 1701, *Anagnina* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § IX, n. 24.

(4) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 428.

(5) S. C. C. 30 Sept. 1684, dub. 4, *Lunen, Sarzanen*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § V, n. 17.

(6) Bened. XIV Instit. 107, § IX; S. C. C. 17 Dec. 1718 ad V cum pluribus aliis in Actis S. Sedis vol. VI, fol. 425 in fine.

(7) S. C. C. 27 Sept. 1659 *Aquilana* dub. 3; 17 Dec. 1718 *Dubia jubilationis* IV; 20 Aug. 1785, § 7, *Alatr.*; Bened. XIV Instit. 107, § IX; Acta S. Sedis vol. VI, fol. 425 et 430, Zamboni tom. 1, *Canonicus* § V, n. 3 et 30, tom. 4, *Canonicus*, § V.

(8) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 418; S. C. C. 24 Mart. 1703 *Romana*; 9 Jun. 1714 *Patavina* apud Zamboni *Canonicus*, § V, n. 24 et 29, et tom. 4, *Canonicus*, § V; Bened. XIV, Instit. 107, § IX; Lucius Ferraris *Canonicus*, § IX, n. 104 et 105.

jubilationem auctæ fuerint, participat quoque de augmento (1). Similiter participat de fallentiis aliorum, et distributionum augmentum recipit, quod dimanat ex aliorum absentia, nisi obstet statutum aut consuetudo ecclesiæ (2). Excipiendæ tamen sunt distributiones quæ dicuntur *inter præsentibus* (3).

Gaudet etiam jure recipiendi distributiones ordinarias provenientes ex anniversariis fixis, nisi obstet voluntas disponentis seu testatoris; non vero provenientes ex funeribus et anniversariis incertis et extraordinariis: quia emolumenta inde suscipienda, a benefactoribus tantum actu præsentibus tradi videntur, præcipue si statuta capitularia ita ordinent, vel ex consuetudine ita fieri soleat; in ejusmodi enim functionibus adventitiis statuta et consuetudines maxime valent (4).

§ 4. De canonicis coadjutis.

I. Concilium Tridentinum (5) mandat, ut canonici *diebus statutis ordines per se ipsos exerceant, et ut omnes divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia*. Cum autem canonici impediti esse possint, etsi ipsi infirmi aut senio confecti coadjutorem sibi adjungere, aut per substitutum inservire non teneantur (6); in illorum tamen gratiam coadjutoria inventæ fuerunt, ne ecclesia ob impedimentum coadjuti suo defraudetur servitio (7). Coadjutoria duplex est: una temporalis et revocabilis, seu data sine jure succedendi in beneficio; alia perpetua et irrevocabilis, data cum jure succedendi, per quam, defuncto coadjuto, jus tribuitur coadjutori in illius beneficio succedendi (8).

(1) Lucius Ferraris loco cit. n. 105.

(2) S. C. C. 19 Ap. 1692, *Reatina*; 1 Ap. 1719 dub. 1, *Aquipendien*; 12 Maji 1770 *Reatina*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § V, n. 20, 32 et 40, et tom. 4 loco cit.; Bened. XIV loco cit.; Lucius Ferraris loco cit. n. 104.

(3) S. C. C. 10 Maji 1862. *Analecta juris Pontificii sér. 6*, fol. 2267, 14.

(4) S. C. C. 30 Jan. 1838, *Lucana* dub. 111, IV et V; Acta S. Sedis vol. VI, fol. 419 et 427; Lucidi de visit. SS. Lim. tom. 3, fol. 169, n. 25-30; Zamboni tom. 1, *Canonicus* § V, n. 2, 7, 8, 14, 15, 16, 40, tom. 4, *Canonicus* § V; Lucius Ferraris *Canonicus* § IX, n. 108 et 109; Scarfantonus lib. 2, tit. IV animadv. 17 et 18, Vid. cap. XXX, § 7.

(5) Sess. 22, cap. IV de reform. et sess. 24, cap. XII de reform.

(6) Fagnanus in I, p. III, Decretal. de concessione præbendæ, c. *Nulla*, n. 73.

(7) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. X, n. 1.

(8) Lucius Ferraris, *Coadjutoria* n. 2.

Coadjutoria temporalis sine futura successione in beneficiis episcopatu inferioribus concedi potest ab Episcopo, quia sicut Episcopus illos beneficiatos instituere potest, ita et quidem a fortiori iisdem etiam adiutorem dare potest. Coadjutoria autem perpetua cum futura successione concedi nequit, nisi per solum Papam (1).

II. Coadjutus et coadjutor simul admittendi non sunt ad distributionum quotidianarum participationem, quia unica tantum portio illis debetur tanquam repræsentantibus unicam solam personam (2).

Omnes fructus, distributiones et emolumenta reservantur coadjuto, ac si ipse præsens esset (3). Quando coadjutor habet aliunde, unde se decenter sustentare valeat, nonnumquam disponitur, quod coadjutor nihil prorsus percipere debeat de fructibus et distributionibus. Quod autem si non habeat, coadjutus ex redditibus beneficii coadjutori suo ministrare tenetur expensas necessarias, ex quibus coadjutor vivere possit (4), sicut interdum mandatur in indulto coadjutoriae, juxta portionem, qua partes inter se convenerunt ante porrectam supplicationem; quod in petitione indulti necessario exprimentum est (5). Si coadjutor ob paupertatem, ecclesiae decenter servire nequeat, a servitio excusaretur, et principalis illum compellere non posset, nisi dando ei aliquid, quo honeste deservire valeret (6).

III. Canonicus coadjutus immunis est a chori et ecclesiae servitio, cui coadjutor obstringitur (7), quia fictione juris coadjutus et coadjutor unicam tantum in juribus canonicalibus repræsentant personam. Residere tamen tenetur in loco, ubi canonicatum obtinet, nisi habeat indultum (8).

(1) Conc. Trident. sess. XXV, cap. VII de reform. Reiffenstuel lib. III, tit. VI, n. 27; Barbosa de canonicis cap. XXIX, n. 1; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. X, n. 6, et *coadjutoria* n. 3-7.

(2) S. C. C. 25 Sept. 1762, *Melev.* apud Zamboni tom. IV, *distributiones* § III in fine.

(3) S. C. C. 3 Dec. 1729, *Rom.* § 4, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1; Acta S. Sedis vol. VII, fol. 196.

(4) S. C. C. loco cit. apud Zamboni.

(5) S. C. C. 19 Ap. 1760, § 4, apud Zamboni loco cit.

(6) Barbosa de canonicis cap. 29, n. 12; Lucius Ferraris, *Canonicatus* art. X, n. 62.

(7) S. C. C. 16 Maji 1739, § 4, *Ovet. Coadjut. et distr.*

(8) S. C. C. 16 Maji 1739, *Ovet.* § 4; 15 Ap. 1780, *Rom.* § 8, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1; Giraldis de pœnis eccl. p. 2, *residentia* cap. IV.

Coadjutus equidem choro, missæ, processioni interesse potest, etiam simul cum suo coadjutore. et uterque in habitu canonicali, coadjutus in proprio loco, et coadjutor post alios, ut § seq. dicitur (1). Quinimo, si velit per seipsum choro interesse, hebdomadam explere, et omnibus functionibus ecclesiasticis, canonicatui suo adnexis, defungi, impediri non potest (2).

IV. Si canonicus jubilatus coadjutorem impetret, jubilationis indultum eum amplius non juvat, sed punctaturis obnoxius est, quotiescumque nec ipse, nec coadjutor inservit (3).

Quando coadjutus ratione infirmitatis vel alterius excusationis legitime impeditur, idcirco coadjutor non eximitur; sed si coadjutor vel negligat vel nolit residere, coadjutus punctandus est, ad damnum tamen coadjutoris (4). Si autem non solum coadjutus infirmus fuerit, sed etiam coadjutor morbo impediatur; coadjutus fructus et distributiones percipere debet, ac si officiis divinis per se vel per coadjutorem assisteret (5).

§ 5. De coadjutoribus.

I. Coadjutor est ille, qui deputatur ad supplendum officium dignitatis aut canonici. Unde habere tenetur qualitates requisitas ad obtinendam præbendam et ad supplendum officium, ad quod deputatur (6).

II. Coadjutor, durante vita coadjuti, non est verus canonicus, sed fictus, non habens jus nec titulum in beneficio, sed tantum exercitium et administrationem nomine coadjuti, penes quem residet totale jus in canonicatu (7).

(1) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. X, n. 52.

(2) S. C. C. 9 Ap. 1718 *Florentina*; 16 Maji 1739, § 4, *Ovet.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 11, et tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(3) S. C. C. 16 et 30 Jan. 1740, § 8, *Ovet.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(4) S. R. C. 8 Maji 1617, *Patavina*; 4 Ap. 1620, *Ceneten*; 20 Feb. 1627, *du-bium de coadjutore*; S. C. C. 16 Maji 1739 § 4, *Ovet.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(5) S. C. C. 21 Junii 1625, *Vicen.* et 3 Dec. 1729, *Romana* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 2, 20 et 21; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. X, n. 70; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 45.

(6) Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. X, n. 34-37 et 54; Barbosa de canonicis, cap. 29, n. 47.

(7) S. C. C. 26 Aug. 1780, § 7, *Apoc.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1;